QUA RATIONE PICTORES POMPEIANI IN COMPONENDIS PARIETIBUS USI SINT

CAPITA TRIA

DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE HALENSI RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

GERHART RODENWALDT
BEROLINENSIS

HALIS SAXONUM
TYPIS WISCHANI ET BURKHARDTI
MDCCCCVIII

Pamph. Art, Paint. R.
LIBRARY ... 1910 UNIVERSITY OF TORONTO
3 1761 09616007 2

DE DISSERTATIONE PROBANDA
AD PHILOSOPHORUM ORDINEM RETTULIT
CAROLUS ROBERT

CAROLO ROBERT

SACRUM

Digitized by the Internet Archive
in 2014

https://archive.org/details/quarationepictor00rode

I.
De spatio circumscripto in tabulis pictis Graecorum.

Priusquam ad eas picturas, quae Pompeis et Herculanei erutae sunt, accedam, ea repetere vel colligere in animo habeo, quae et monumenta et auctorum testimonia de tabularum Graecarum compositione docent. Quamquam enim fortasse fieri potest, ut ipsis illis picturis excussis distinguere discamus, quae in compositione Romanorum, quae Graecorum propria sint, tamen tabulae illae Graecae regulam praebere possunt, secundum quam picturas Pompeianas ad exempla Graeca referre liceat.

Sed pauca sunt monumenta, testimonia paulum diserta. Itaque singulorum pictorum artem cognoscere abstinere atque satis habere debemus, fere universum artis incrementum explorare. Tabularum autem pictarum historiam in duas, quod ad compositionem attinet, partes dividere possumus, quarum prior est ab initio usque ad dimidium quarti saeculi, altera ab hoc usque ad originem Romanae parietum picturae. De ratione autem, qua priore illa aetate tabulae compositae erant, unum idque summi momenti non iam dubium esse potest, quin spatium profundum circumscribere Graeci nescirent. Cui rei testimonio sunt primum quidem tabulae illae marmoreae, quas post alios C. Robert[1]) edidit, deinde autem ea, quae Franciscus Wickhoff[2]) e

---

[1]) C. Robert, Hallische Winckelmannsprogr. XIX—XXIV.

[2]) F. Wickhoff u. v. Hartel, Die Wiener Genesis, Einleitung, p. 45 ff.

servatis nonnullorum monumentorum coloribus, ex ectyporum comparatione, ex testimoniis scriptorum de indole illius picturae eruit. Demonstravit enim Wickhoff pictores illorum temporum non tam veritati quam pulchritudini colorum studuisse neque ullum auctorem de spatio in tabulis circumscripto verba facere. De argumento agunt, non de arte illis exceptis arbitriis, quae apud Plinium et Quintilianum tradita sunt, quae tamen ne ipsa quidem de compositione quicquam dicunt. Tali autem in quaestione vel e silentio concludere licet.

Atque primum quidem testimonia quamquam locum diserte non indicant tamen ipsis descriptionum verbis locum declarant, cum numquam figurae, quae post alias sive in recessu sint, commemorentur, sed figurarum dispositio per praepositiones „ad", „iuxta" (Graece: *παρά, πλησίον*) etc. exponatur, velut: Plin.: N. H. XXXV, 70 (Detlefsen) *(Parrhasius pinxit) Philiscum et Liberum patrem adstante Virtute .... item sacerdotem adstante puero ...*

74 *Cyclops dormiens in parvola tabella, cuius et sic magnitudinem exprimere cupiens pinxit iuxta Satyros pollicem eius metientes.*

Tum autem inter insequentis aetatis picturas nonnullas invenimus, ubi locus a scriptoribus commemoratur. Itaque cum usque ad Alexandrum Magnum fere pictores continuatum locum non depinxerint, picturae autem Pompeianae pleraeque continuationem praebeant, Wickhoff eam artem intercedentibus saeculis inventam et auctam esse putat, ita ut una incrementi linea ad illas picturas Pompeianas duceret. Tamen dubitari potest[1]),

---

[1]) W. Klein, Gesch. d. Griech. Kunst, III, p. 5. — Quod autem idem continuationem loci iam Zeuxidi adscribit, mihi certo fundamento carere videtur, cum fieri possit, ut verba illa, quibus locus Centaurorum tabulae (Lucian. Zeuxis 4) significatur: *ἐπὶ χλόης εὐθαλοῦς*, nullam colorum veritatem (Lokalfarbe) significent. Pratum enim nunquam alio quam viridi colore pingitur, vel in aetatibus quae non nisi ad pulchritudinem colorum spectant.

num recte Wickhoff hanc inventionem initio secundi demum saeculi tribuerit; immo ni fallor ex testimoniis monumentisque et tempora et auctores, imprimis autem ratio, qua illis saeculis continuatio loci fingebatur, etiam accuratius cognosci potest.

Primam autem loci commemorationem in Aëtionis clarissima tabula invenimus: Lucianus Herod. sive Aëtion 5 *θάλαμός ἐστι περικαλλὴς καὶ κλίνη νυμφική*.

Quae verba docent, thalamum non solum, sicut in picturis vasculorum priorum indicatum, sed repraesentatum fuisse: continuatus igitur locus erat. Idem evenisse in Hippyis tabula „*Πειρίθου γάμος*“[1]) Wickhoffii interpretatio docet, confirmatur eo, quod lucerna e tecto dependens (*λύχνος ἐκ τῆς ὀροφῆς ἐξηρτημένος*) depicta erat. — Ad eandem aetatem hellenisticam, quamquam tempus accuratius definiri nequit, complures tabulae referendae sunt, ubi loco tantum tribuitur, ut ex ipso loco argumentum capiatur. Plin. N. H. XXXV, 143. *Philiscus (pinxit) officinam pictoris ignem conflante puero.* Quae pictura ipsa quoque ab ea Antiphili pictura pendere videtur, de qua Plinius, l. l. XXXV, 138: *Antiphilus puero ignem conflante laudatur ac pulchra alias domo splendescente ipsiusque pueri ore.* Plin. l. l. 112. *(Piraeicus) tonstrinas sutrinasque pinxit*: Plin. l. l. 143. *Simus (pinxit)* . . . *officinam fullonis.*

Quae exempla docent inde ab Alexandri Magni aetate in pingendis aedificiorum internis exstitisse continuatam picturam. Ceteras autem tabulas, quae interna non ostendebant, ea omnino caruisse eo minus probabile est, quod insequentibus temporibus duas has classes propinquitate quadam coniunctas esse videbimus.

Itaque cum fuisse locum continuatum ea aetate

---

[1]) Athen. XI p. 474 D. Wickhoff l. l. p. 51.

scriptores doceant, qualis fuerit, interrogandum est. Hoc autem, ut exemplum afferam quam optimum, ex clarissimo illo Archelai ectypo[1]), quod Homeri apotheosim ostendit, discere possumus. Nam cum omnino ectypa Graeca cum picturis arctissime coniunctae sint, illud tota arte picturae simillimum est. Eius in infima parte interna templi ostenduntur, quatenus antiqua ars hoc efficere potuit. Numquam enim antiqui ipsum loci interni spatium, sed fines tantummodo eius mente senserunt[2]), itaque non oculis, sed animis locum ostenderunt, id quod hic quoque factum esse videmus. Loci enim expressio in eo constat, quod omnis ectypi fundus ipsis rebus — i. e. velis capitibusque columnarum repraesentatis — tamquam paries significatur, cum cetera ars non diversa sit ab aliis ectypis, id quod in eo imprimis apparet, quod fere rectae et parallelae, non obliquae et concurrentes finguntur lineae ordinatae.

Ex illa autem interni spatii fingendi ratione derivandum est, quod plane eundem, nisi specie parietis commutata, locum monumentum aliquod praebet, quod homines non intra domum, sed ante domum in via stantes ostendit, opus illud musivum Pompeis repertum, in quo metragyrtae nonnulli depicti sunt.[3])

Eandem loci expressionem in superioribus fasciis Archelai ectypi invenimus, quae eo tantum ab infima illa diversae sunt, quod fundus non parietis, sed montis speciem habet, quem Parnassum habendum esse argumentum docet. Neque tamen hic mons totam tabulam explet, sed supra flexuosa linea, quae hemicyclum fere efficit, definitur ita, ut ab utroque latere pars marmoris levis relinquatur, in quam a dextra Calliopae brachium

---

1) C. Watzinger, 63tes Berliner Winkelmannsprogr. 1903.

2) Cf. A. Riegl, Spätrömische Kunstindustrie, p. 15 ff.

3) Jahrb. d. Inst. X, 1886, Arch. Anz., p. 122.

vestisque pars, a sinistra aquila et sceptrum Iovis proiecta sunt; non dubium esse potest quin haec pars pro aëre habenda sit, id quod olim colore quoque significatum fuisse verisimile est. Magni autem momenti est, quod Iovis figura non in cacumine montis, sed in fronte cacuminis collocata est, quo fit, ut montis extremitates discrimen inter montem et aërem efficiant.

Similem quidem, sed quodam modo commutatam rationem praeter alias rationes in eo monumento praeclarissimo invenimus, quod Telephi fabulam reddit, zophorum dico Pergami repertum. Pariter enim figurae ante montem et in monte collocatae sunt in illis fragmentis, quae navigii aedificationem adhibent.[1]) Quorum in priore quattuor viros in aedificando illo navigio occupatos videmus, alterum servam subsidentem ostendit; in utroque autem fragmento figurae ante montem collocatae sunt, cuius in capite hic Auge (iuxta eam autem duae servae insistunt), illic nympha montana, ut videtur, insidet. Sed cum inferiores partes in loco exprimendo cum Archelai ectypo omnino consentiant, superiores plane differunt. Nam cum illic mons quasi parietem efficiat, ante quem figurae collocatae sunt, hic mons et figurae simul easdem partes areae explendae habent, quo fit ut figurae non iam monti subditae sint. Itaque hic et mons et figurae eo munere funguntur, quod illic mons solus vel paries effecerat. Haec autem ratio quo fonte orta esse potest?

Similitudines habet cum ea, quam in pavimento illo Alexandri proelium cum Dario exprimente invenimus, de qua disseruit Wickhoff l. l. p. 51. Summa autem eius rationis est totam inferiorem tabulae partem figuris expleri, quo facto problema continuandi loci non tam solvitur quam evitatur, quae tamen evitatio, cum deliberata et consulto facta sit, pictores hoc problema cognovisse docet.

---

[1]) Jahrb. d. Inst. II, p. 244, III, p. 97 (Robert), XV, p. 113, Abb. 10 (Schrader).

Hoc pavimentum a plerisque ad Philoxenum, Nicomachi discipulum, refertur; quod etiamsi accipimus, tamen dubium est an compositionis ratio ab illo pictore, qui inter praeclarissimos non erat, inventa sit. Aristides autem iunior, Nicomachi filius, ut Plinius N. H. XXXV, 99 tradidit, *pinxit proelium cum Persis, centum homines tabula ea complexus.* Talem figurarum numerum, cum Polygnoti rationes ab illis temporibus alienae sint, fere non nisi secundum eam, de qua diximus, rationem pictum fuisse credere possumus; haec autem tabula ante Philoxeni tabulam picta erat. Accedit, quod inventum illud, quod maximam auctoritatem insequentibus saeculis habebat, pictori celeberrimo, qui ipse discipulos docuit, tribuendam esse verisimilius est, quam ei, qui ut discipulus tantummodo traditus est.[1]) Quantum enim hoc principium valuerit, non solum monumenta, sed etiam scriptoris testimonium docet. Neque enim aliter intellegi potest, quod Plinius, N. H. XXXV, 142 de Nealce tradidit: *ingeniosus et sollers iste, siquidem, cum proelium navale Persarum et Aegyptiorum pinxisset, quod in Nilo, cuius est aqua maris similis, factum volebat intellegi, argumento declaravit, quod arte non poterat; asellum enim bibentem in litore pinxit et crocodilum insidiantem ei.* Id est: quod aqua Nili maris est similis, arte locum definire non potuit. Inde apparet, Nealcem locum continuatum, nempe Nilum ripamque eius alteram pingere non potuisse, sed locum qualitate, i. e. colore[2]) aquae declarare voluisse. Qui cum maris similis esset, ad argu-

---

[1]) Quisquis autem illam rationem invenit, certe locus illius tabulae ita secundum artis rationem repraesentatus est, ut nihil ad ipsum proelium definiendum afferre possit. Itaque G. Körte, Röm. Mitt. 1907, p. 1 ff., qui e natura loci quale proelium repraesentatum sit intellegere conatus est, ob id ipsum refutandus est, cf. E. Pernice ibid. p. 25 ff.

[2]) Brunnii autem (Gesch. d. griech. Künstler II, p. 290) interpretatio „die breite Fläche hätte leicht zu einer Verwechslung mit dem Meere Anlass geben können" inde proficiscitur, quod ab initio facultas ampli loci fingendi Graecis tribuitur, tum etiam verba „cuius

mentum confugere debebat. Simul autem verisimile est, naves, sicut in Alexandri proelio figuras, totam aream explevisse, ut ficta loci species fieret, in angusto autem spatio infra vacuo relicto, in quo illic gladios hastasque invenimus, hic asellum et crocodilum pictos fuisse.

E monumentis autem servatis ante omnia rursus Telephi zophori partes nonnullae[1]) commemorandae sunt, imprimis fragmentum illud, quod regem cum comitibus accurentem ostendit.[2]) Attamen hoc principium ad pauca argumenta idoneum erat. Itaque et prior ratio, quae continuatum locum fingere abstinuit, permanebat et hoc principium cum illo Archelai ectypi coniungebatur, quod in illis Telephi zophori fragmentis supra commemoratis factum esse vidimus. Nam in eorum superiore parte figurae et rupes materiam ad aream explendam praebent, quae natura tantum ab Alexandri proelio diversa est, cum pro figuris partim aliae res positae sint. — Simili modo in eo fragmento, quod Telephum infantem ab Hercule inventum ostendit, area partim figuris hominum partim arbore saxo similibus rebus expleta est. Quae coniunctio, quam postea etiam in nonnullis picturis Pompeianis inveniemus, quando facta sit, accurate cognosci non potest. Tamen inventio eius inter Aristidis Aëtionisque aetatem et Telephi zophorum ponenda est et, cum eam in Archelai ectypo non videamus, haud scio an potius aetati, quae est inter illud et Telephi zophorum, i. e. initio secundi saeculi tribuenda sit.

Ceterum haec continuati loci exempla, cum casu servata esse possint, certam legem ad tabulas Graecas

---

aqua . . .“ ei repugnant. — Moschus, minus ingeniosus quam bonus poëta, scripsit Europ. v. 47 „*κυάνου δ᾽ ἐτέτυκτο θάλασσα* — 53 *ἀργύρεος μὲν ἔην Νείλου ῥόος*.“

1) In magno Iovis arae zophoro similis ratio adhibita est, deest autem architectonicis de causis (Brunn, Kl. Schriften II, p. 430) superior area vacua.

2) Jahrb. d. Inst. III, p. 87, Q, XV, p. 121, Abb. 13.

restituendas praebere non possunt. Itaque praeter ectypa et scriptorum testimonia etiam reliqua, quae supersunt, subsidia adhibenda sunt, i. e. et tabulae marmoreae supra commemoratae et magnus numerus apographorum, quae in parietibus Romanis et Pompeianis secundi et tertii stili servata sunt.

Tabulae autem illae paulum nos adiuvant, cum ad quinti quartique saeculi picturam pertineant. Earum autem compositio in ratione constabat qua singulae figurae iuxta componebantur.[1]) Pro hoc principio ei conatus, qui planitiem ad spatium amplificare volunt, parvi aestimandi sunt. Conati autem sunt figuris plus minusve adverse pingendis non a loco ipso, sed a figuris profecti. Quod cum iam in *apobatae anathemate* et in *Pirithoo* inveniamus, celeberrimum exemplum est Pausiae *boum immolatio*.[2]) Quocum coniungendus est mulus in tabula Sileni fessi, quamquam paulum tantummodo adversus pictus est. Animadvertendum autem est, has decurtationes non ita factas esse, ut ordinatae lineae concurrant, sed secundum ectypi morem lineas angulo fere recto ad picturae aream translatas esse. Simile aliquid Apellem molitum esse suspexeris, cum de Alexandri Magni fulmen tenentis tabula traditum sit Plin. N. H. XXXV, 92: *digiti eminere videntur et fulmen extra tabulam esse.* Continuatum autem locum ab Apelle pictum esse Wickhoff iure negavit; quod aliis confirmatur quae de arte eius pictoris tradita sunt, primum linea illa per Protogenis tabulam ducta (Plin. l. l. 81), deinde his Plinii verbis l. l. 80: *fuit autem non minoris simplicitatis quam artis. Melanthio dispositione cedebat, Asclepiodoro de mensuris, hoc est quanto quid a quoque distare deberet.* Hinc apparet Apellem ipsum ita de se iudicasse plurimumque et dispo-

---

[1]) Scaena enim, quae in Niobae tabula picta est, non locum efficit, sed argumenti causa addita est.

[2]) Plin. N. H. XXXV, 126.

sitioni et mensuris tribuisse. *Dispositio* autem ad collocationem figurarum pertinet, *mensurae* (i. e. symmetria, Plin. 35, 107), ut ipsa verba docent, ad figurarum et intervallorum vicissitudines.[1]) Itaque Apelles is habendus est, qui omnem priorem artem consummavit, sed in loco exprimendo nullas novas vias arti aperuit. Unde haud scio an explicari possit, quod, cum alios aetatis illius pictores discipulos docuisse traditum sit, Lysippi autem multos discipulos noverimus, Apellis non nisi unus isque ignobilis discipulus[2]) traditus est.

Hae igitur tabulae temporibus ante Alexandrum Magnum tribuendae sunt, hellenisticarum autem tabularum, ut et ars et argumenta docent, apographa magnus numerus picturarum Romanarum praebet. Ac quamquam Pompeis, praecipue nuper in vico Boscoreale, multae eiusmodi picturae inventae sunt, tamen copiosius de iis tantummodo agam, quae Romae repertae sunt. Nam Pompeianae illae nihil novi ostendunt, praeterea male conservatae et plerumque ineditae sunt.

Itaque ad eas picturas me converto, quae in **domu** Palatina, sive **Liviae** sive Germanici, et quae in ea quae dicitur **casa Farnesina** vel Tiberina repertae sunt. Omitto autem magnas mediorum parietum picturas, de quibus quid iudicandum sit, in secundo capite videbimus. **Apographa** autem illa in duas partes dividendae sunt, quarum una tabulas margine ligneo valvisque instructas et tamquam in proiectura coronae stantes continet, altera autem quasi parieti impressas. Utraque autem ratio scriptorum testimoniis tradita est, sed ita tamen, ut haec illa demum Divi Augusti aetate inventa esse videatur. Nam cum Plinius de signorum collocatione verbis *esse* vel *dicatum esse* utatur, de picturis, quamquam de iis quo-

---

[1]) Rossbach in Pauly-Wiss. Brunn, Gesch. d. griech. Künstler II, p. 221 falso: „perspektivische Behandlung“,

[2]) Plin. N. H. XXXV, 111.

que haec verba invenimus, tamen plerumque verbum *ponere* adhibet, qui terminus technicus fuisse videtur. Ubi autem tabulae *positae* fuerint, ex uno Plinii loco intellegi potest N. H. XXXV, 108 (*Nicomachus*) *pinxit raptum Proserpinae, quae tabula fuit in Capitolio in Minervae delubro supra aediculam Iuventutis.* Atque eodem modo etiam apographa illa collocata videmus.

De secunda autem ratione duo sunt testimonia: N. H. XXXV, 26 *in thermarum quoque calidissima parte marmoribus incluserat parvas tabellas paulo ante, cum reficerentur, sublatas.*

27 *idem (Augustus) in curia quoque quam in comitio consecrabat duas tabulas inpressit parieti.*

Inde apparet, nomen proprium huic rationi defuisse; non enim Plinii orationi eam variationem verbi tribuendam esse argumento est, quod inter hos locos bis verbum *posuit* adhibuit.

Sed quo tempore tabulas in pingendis parietibus imitando exprimi coeptum est? — Tum demum id fieri potuit, cum omnino parietum expolitiones pictura exprimi coeptae essent, i. e. in stilo secundo. Nam cum antea tabulae in ipsis coronis insisterent, tum una cum coronis etiam tabulae fingebantur.[1]) Haec docent, picturas illas imitationes satis accuratas esse, quamquam singula ex iis discere non licet.

De coloribus autem id tantum dico, omnes tabulas

---

[1]) Inde apparet factum esse non posse, ut antea tabulae in parietibus imitando expressae sint. Itaque in Plauti versibus (Menaechm. I, 2, 3 4 cf. Letronne, Lettres d'un antiquitaire, p. 83 Helbig, Untersuchungen, p. 139): „Dic mi, enumquam tu vidisti tabulam pictam in pariete etc.“ verba „tabulam pictam“ et „vidisti — in pariete“ arctius inter se coniungenda sunt, ut „tabula picta“ quasi unam notionem efficiat, quam coniunctionem saepius invenimus (velut Cic. D. nat. deor. II, 34, 87). Nam nisi in locis ad artem spectantibus tabulae vocabulum semper pictam tabulam significare necessarium non erat.

magnam colorum varietatem praebere, colores ipsos validos et satiatos esse; praeferuntur color ex violaceo modo obscurus modo candicans, luteus, viridis, caeruleus, fuscus.

In domus Palatinae tablino, quod dicitur, duo apographa incolumia servata sunt, quae, quod ad argumentum attinet, ei generi, cui Helbig nomen *Hellenistisches Genre* dedit, adnumeranda sunt. Brevioris autem parietis tabula [1]) tres figuras, duas stantes, sedentem inter eas unam continet, quae omnes in uno plano collocatae sunt; reliquae autem areae color cubiculi parietem indicat. Itaque hic eadem ratio nobis occurrit quam in infima parte Archelai ectypi invenimus.

Longioris parietis ea quae a sinistra parte est tabula (l. l. t. 22) sacrificantes ostendere videtur; hic quoque tres figuras συμμετρικῶς dispositas videmus, serva autem pro ceteris multo minor picta est; quam tamen magis remotam non habendam esse inde apparet, quod post ipsam labellae basim insistit. Figurae igitur duobus planis diversis nec tamen accurate segregatis continentur, sicut in Alexandri proelio vel in Telephi zophoro. Post ipsas figuras paries sequitur, cuius superior pars velo supra, infra candicante linea ornato obtecta est.

Tertiae tabulae (l. l. t. 22) pars tantum servata est, quae pugnantem praebet, cuius motus ordinate ad tabulae aream fiunt, cuiusque corporis partes quam maxime per aream expositae sunt; reliquam autem aream aut nullum certum aut caeli lividum colorem habuisse verisimile est. Itaque haec quoque pictura ectyporum normae plane respondet.

Multo autem numerosiores tabulas, sed partim male conservatas praebent domus Farnesinae parietes. Quae in compluria genera dividendae sunt, quorum duo tantum huc pertinent. Reliquae enim picturae partim tabulas

---

[1]) M. d. I. XI, t. 23.

quinti saeculi, quas marmoreas esse verisimile est, quaeque, quod ad artem attinet, memoriam lecythorum Atticarum albarum revocant, imitantur, partim figuras in violacea area pictas ostendunt. Utrumque autem genus omni loci continuatione caret, id quod propterea alicuius momenti est, quod secundum genus propter argumenta ad exempla hellenistica referendum esse videtur; itaque testimonio esse potest illam antiquioris artis rationem etiam insequentibus aetatibus perdurasse. Maioris autem momenti sunt reliqua genera, i. e. in cubiculis tabulae positae et in cryptoporticu tabulae parieti impressae.

Cubiculorum trium tabulae, quae omnes valvis instructae sunt, plane eosdem colores ostendunt, quos iam in picturis Palatinis invenimus. Cubiculi autem primi (2)[1]) utraque tabula seriem figurarum ostendit quae ectypi ratione collocatae sunt, in una (XII, 8,5) autem servae minores pictae sunt, quamquam paulum tantummodo remotae sunt; pedes enim sinistrae servae in eodem plano, in quo lecti pes anterior, collocati sunt, dextra serva autem in eodem plano, in quo iuvenis sedens, cogitanda est. Secundum planum (duo sunt ut in Archelai ectypo) circiter dimidio amplitudinis a priore remotum est. Paries autem, qui in recessu spectatur, non uno colore expletur, sed in partes coloribus inter se diversas divisa est. In XII, 8,4 sinistra pars ex violaceo obscura, dextra e fusco candicans est, in 8,5 sinistra pars e violaceo candicans, dextra fusca est. Quantam autem locus amplitudinem habeat, accuratissime ex fusco soli colore intellegi potest.

In cubiculorum secundi (4) et tertii (5)[2]) tabulis et loci et figurarum dispositio secundum eadem principia facta est; quae cum ex apographis in Instituti nostri monumentis facile perspici possint, copiosius eas describere abstineo; ea tantum enumerare volo, quae de parietibus in tabulis illis

---

[1]) Helbig, Führer 1131, M. d. I. XII, t. 8,4. 5.

[2]) Helbig, Führer 1141, 1142, 1132.

pictis dicenda sunt. Atque tabula Mon. d. Inst. XII, 27,2 (XII, 23) expressa parietem clarum ostendit, qui supra velo violaceo ornatus est, tabula XII, 27,5 (XII, 23) autem sinistram partem violaceam, dextram albam habet, supra autem flexuoso margine violaceo coronatur, quae pars aut ita explicanda est, ut velum album ante parietem violaceum extensum esse, id quod in monumentorum tabula redditum est, aut velum violaceum superiorem albae parietis partem ornare, id quod alteri tabulae respondeat, cogitandum sit. XII, 8,3 sinistra pars e violaceo candicans, media obscura, dextra violacea est. Similia in reliquis duabus tabulis invenimus. Itaque hae quoque picturae et cum domus Palatinae picturis et cum Archelai ectypo consentiunt et nobis testimonio esse possunt, quomodo in aetate hellenistica locus depictus sit. Tabula vero XII, 8,1 expressa ab Aëtionis *nova nupta* quodam modo pendere potest, quamquam ipsam illam tabulam exemplar huius apographi fuisse veri dissimile est. At certe qualem speciem Aëtionis *θάλαμος περικαλλής* praebuerit, docere potest. Quod autem ad rationem parietes dividendi attinet, fieri potest, ut divisio illa in exornandis parietibus stilum primum, quem vocamus, praecesserit, et vela illa haud scio an aulaea[1]) illa sint, quae saepius a scriptoribus commemorantur.

Sedecim cryptoporticus (1) tabulae[2]), quae exceptis quinque postea additis eximia pulchritudine fuisse videntur, neque bene conservatae neque omnes ad accurate inspiciendum opportune collocatae sunt. Omnes fere praeter M. d. I. XII, 29,2 et 31,1 in loci descriptione et figurarum dispositione cum supra enumeratis consentiunt, in singulis autem differunt, ut eas aut alii artifici aut omnino diversae aetati tribuendas esse appareat. Symmetria autem in nonnullis tam morose observata est, ut duritiam paene efficiat velut in XII, 30,2. Itaque hae fortasse exeunti quarto sae-

[1]) Thes. L. Lat. imprimis Sall. hist. frg. II, 70,2, Propert. II, 32,12, Val. Max. IX, 1,5.

[2]) Helbig, Führer II, S. 250.

culo tribuendae sunt.[1]) Area autem figuris vacua in plerisque tabulis vigoroso colore caeruleo expleta est, quem, quamquam etiam de pariete cubiculi cogitari potest, tamen caelum significare verisimile est. — XII, 29,1 dextra areae pars clara, sinistra fusca est itaque paries significatur, pars autem caerulea, quae nunc quasi macula in sinistra parietis parte conspicitur, haud scio, an fenestra fuerit. — XII, 30,1 a sinistra parte pila picta est, velum cani coloris sequitur; reliqua caerulea sunt; 31,2 prope sinistrum marginem pila conspicitur, per reliquam aream velum coloris ex rubro fusci extensum est; quod qua lacunam habet caeruleus color apparet; 32,1 tota area caerulea est, a sinistra autem et a dextra parte pila alba eminet.

Eae picturae, quae vela ostendunt, imprimis autem una illa, quae fenestram praebet, docere videntur, caeruleum colorem pro caelo habendum esse; tamen caelum non bene fictum est, cum loci amplitudinem ex soli fusco colore intellegere possimus, solum autem una cum figuris desinat. Quod fieri posset, si oculi signum in altitudine soli desinentis situm esset, contra hic figuris angulo recto ad aream translatis omne oculorum signum deest. Sed fortasse fundi color nihil aliud est, quam caeruleus ille color, qui multorum ectyporum fundum explevisse videtur.

Utut autem res se habet, altera pars harum picturarum, cum clausus sit locus, continuationem loci ostendit, altera continuationi appropinquat, cum area non iam quasi incertus fundus, sed pro caelo habenda sit. Omnes autem, quod ad loci amplitudinem attinet, cum supra descriptis consentiunt.

---

[1]) Exempla eidem fere aetati tribuenda essent, quam apographa, si ex Menaechmi et Soidae Diana in uno eorum picta (Studnicka, Röm. Mitt. III, 1888, p. 292) hanc aetatem eruere conaremur, id quod tamen incertius est.

Sed duae tabulae a reliquis diversae sunt, 31,1 et 29,2. Quarum prior plane eandem compositionis rationem, quam ex Alexandri proelio cum Dario vel potius ex Telephi zophoro cognovimus, ostendit; figurae enim et res totam inferiorem tabulae aream explent, ut reliqua pars aër videatur esse; omnes autem uno plano continentur. Scopuli enim, qui utrumque latus obtinent, per figuras, quae ante aut iuxta eos collocatae sunt, cum iuvene eiusque sede in centro posita coniunctae sunt. Supra iuvenem autem pila eminet, qua ea, quae expletam aream ab aëre dividit, linea etiam educitur, ne uno flexu contineatur; quam lineam in tabulis Graecis summi momenti esse postea videbimus.

Tabula 29,2 reddita compositionem praebet, quae medium tenet inter hanc et eam, quae a specie continuati loci abstinet, rationem, cum non tota inferior tabulae pars figuris et rebus expleatur. Iuvenis autem sedentis figuram paulum variatam postea in pictura aliqua Pompeiana inveniemus.

E numero Pompeianarum picturarum, quae tabulas imitantur, paucas tantum enumero, quae in domu *del centenario* repertae sunt.[1]) Omnes autem interna aedificiorum ostendunt, quae plane consentiunt cum iis, quae Romae sunt. In una (6) dextra parietis pars velo obtecta est, pleraeque fenestras praebent, figurae ipsae magna pulchritudine sunt. Tamen in tertio stilo magis atque magis hae picturae in ornamenta commutantur neque iam exempla sua accurate reddunt.[2])

Quae omnes picturae quin aetati hellenisticae tribuendae sint, dubium esse non potest. Nam primum quidem continuatio loci quam in plerisque invenimus non multo ante illam aetatem inventa est, deinde tota figurarum, formarum, lineamentorum ars illius aetatis

---

1) Bull. d. Inst. 1882, p. 26, 5—10.

2) cf. Mau, l. l. p. 26 „I colori sono quelli del fregio; l'esecuzione è leggera e affatto decorativa."

propria est, denique ipsa argumenta, quae quidem intellegimus, has picturas temporibus illis adsignant. Accuratiore autem temporis definitione abstinere debemus; quamquam enim verisimile est, nonnullas initio aetatis illius tribuendas, alias posterioribus temporibus factas esse, tamen ars apographorum illorum non tanta est, ut accuratius eam inquirere liceat. Itaque satis est intellexisse has picturas exempla continuati loci aetatis hellenisticae praebere. Id enim propositum habueramus, ut, qualis hic locus esset, intellegeremus. Invenimus autem loci continuationem in omnibus his picturis in eo constare, quod fundi area quasi paries vel finis argumento constitutus significatur. Itaque locus est scaena angustissima, neque figurarum collocatio eo commutatur. Quo facto hae picturae, quod ad locum attinet, ab antiquioribus natura diversae non sunt, id quod haud scio an inde derivandum sit, quod aetatis hellenisticae ars non iam satis valebat ad augendam eam artem, quae initio eius nata erat. Itaque contenta erat angusto illo loco neque eum amplificare conata est.

E consensu autem omnium picturarum rationem, qua in illa aetate continuatus locus pingebatur, restituere possumus, cum nulla pictura a ratione illa differat. Tamen animadvertendum est, numerum argumentorum, quae in his exemplis picta sunt, satis exiguum esse neque nos omnes species variationesque huius rationis in illis inventuros esse sperare posse.

Praeter has picturas etiam alia monumenta servata sunt, quae interna ostendunt, sunt autem vascula Tarentina scaenas habentia, ubi plerumque nonnullae figurae in aedicula, quae mediam picturam obtinet, positae sunt. At non solum aediculae, sed verae domus interna, quaequae origo eius aedificii est, in Assteae vasculo[1])

---

[1]) M. d. I. VIII, 10, Wiener Vorlegebl. B, Taf. 1. Jahrb. d. Inst. 1900, p. 60 (Bethe), Fig. 1 (correxit. H. Wölflin) 1901, p. 27 (Dörpfeld), 1905, p. 137 (Pfuhl).

invenimus, quod Herculem furentem ostendit. Pars autem horum vasculorum haud scio an aetati priori, quam qua in tabulis primum locum continuatum pictum esse didicimus, tribuenda sit, quod tamen nostrae sententiae minime repugnat. Nam primum quidem hae vasculorum picturae omnino cum magna tabularum pictura coniungendae non sunt[1]), deinde autem neque vascula Tarentina neque Assteae vas revera domus interna praebent. Tota enim aedicula ita picta est, ut illam non e loco intus posito, sed quasi statuariae opus a loco foris posito videamus. Tota autem pictura, cuius pars illa aedicula est, omni loci continuatione caret. Itaque hae picturae eis, quae continuatum locum ostendunt, adnumerandae non sunt.

Sed alia pictura cum tabulis illis coniungenda est, quam *Die Aldobrandinische Hochzeit*[2]) nominare solemus. Et figurae quidem quin ad exemplum Graecum referendae sint, dubium esse non potest. Testimonio est praeter ipsas figuras ratio, qua sedes Hymenaei picta est, quae a nullo certo oculorum signo spectatur. Respondet collocatio quoque figurarum in loco et ratio, qua locus, cuius latitudinem ex fusco soli colore accurate intellegere possumus, cum figuris desinit. Respondet a sinistra parte serva multo minor, tamquam remota sit, picta, cum tamen pedes eam post ipsam columellam insistere demonstrent. Denique locus plerumque muro clauditur, area inter dextrum marginem et primam figuram saxo expletur, ea autem pars fundi, quae inter hanc figuram et murum relinquitur, caeruleo colore picta est. Quae omnia in picturis domus Farnesinae invenimus.

Mira latitudo huius picturae, qua zophoro simillima

---

[1]) Watzinger, De vasculis Tarentinis, Bonn 1899.

[2]) B. Nogara, Le Nozze Aldobrandine, p. 22, cf. R. Förster, Arch. Zeit. 1875, p. 80, Robert, Hermes XXXV, 1900, p. 657ff.

fit et longe superat eas, quas Robert comparavit, tabulas, dubitationem affert, an exemplar quoque zophori instar fuerit.

Accurate ei respondent et forma et figurarum dispositione duae Domus Aureae picturae, quarum altera Martis et Veneris, altera Hippolyti fabulam exhibet[1]), quae ipsae quoque zophoris similes intra concamerationis ornamentationem sunt. Utraque autem secundum apographa, quae nobis servata sunt, omni loci significatione caruisse et figuras per incertum fundum dispositas habuisse videtur. Itaque fieri potest, ut murus, qui pro cubiculi pariete positus scrupulum movet, a Romano demum pictore additus sit, quamquam etiam e contrario cogitari potest, loci signa in Domus Aureae picturis, quod ornamentorum instar sunt, omissa esse. Accedit autem, quod pilae caput simile est ei, quod sub dextro picturae angulo e parietis ornamentatione superest. Utut id est, certe compositio eidem aetati, atque antiquiora Domus Palatinae et Domus Farnesinae apographa, tribuenda est, i. e. Aëtionis vel non multo posterioribus temporibus.

De loci autem specie, quam stelae pictae, quae ab Arvanitopullos Pagasis repertae sunt[2]), et stelae orientis Graeciae, de quibus E. Pfuhl[3]) disseruit, praebent, alio loco disseram.

---

[1]) De Marte et Ven. cf. Mirri, Vestigia delle terme di Tito, t. 25, Ponce, Description des Bains de Titus, t. 23, Codex Escurial, herausgeg. v. Egger, p. 70, Fig. 43. — De Hippolyto cf. Mirri t. 43, Ponce t. 42, Thiersch, Dissertatio qua probatur etc. 1835, T. 4, Arch. Zeit. 1883, T. 7, 3, Röm. Mitt. 1901, S. 225, Robert, Die ant. Sarkophagreliefs III, S. 177.

[2]) Ephem. Arch. 1908, p. 1, t. 1—4.

[3]) Jahrb. d. Inst. 1905, p. 47. 123.

II.

De spatio circumscripto in parietibus stili secundi.

Toto caelo ab his Graecarum tabularum apographis eae picturae e secundi stili pariete exsectae distant, quae nunc in bibliotheca Vaticana conservantur, picturae *Ulixis errationes per topia habentes.*[1]) Quae discrepantia neque bonitate operis neque dissimilitudine argumentorum, sed diversissima artis indole effecta est. Nam neque pictor eos, a quibus apographa illa picta erant, arte superabat neque fabulae ab iis, quas Graecae tabulae nobis praebent, genere diversae sunt, sed omnino novum artis genus nobis ostenditur, id est topiorum pictura. Tamen nescio an vocabulo *topii* insit aliquid, quod ipsum quoque ad argumentum pertineat, propria autem est huic novae arti facultas describendae loci continuationis. Nam cum Graeci pictores aut omnino continuatum locum pingere conati non sint aut post Alexandri Magni aetatem problema illud sive evitaverint sive exiguum tantum spatium circumscripserint, hic pictor plane eius artis compos est arteque ea ita luxuriatur, ut non solum magnum numerum atque varietatem amplissimorum topiorum fere recte depinxerit, sed etiam in figuris collocandis studiosissime omnia evitare conatus sit, quae ectypi memoriam revocare possint, ita ut vel figurae amplitudini loci exprimendae serviant; tam et disiecte figurae per topia dispositae sunt et omnium fere motus ad picturae aream transverse fiunt. Sed de figuris postea copiosius agere in animo habeo, ab accurata autem topiorum fabularumque descriptione abstineo, prae-

---

[1]) K. Woermann, Die antik. Odysseelandschaften, Münch. 1876, B. Nogara, Le Nozze Aldobrandine etc. Milano 1907, t. 9—32, Wickhoff, Wiener Genesis, Einleit., p. 79 f., contra Mau, Röm. Mitt. 1895, p. 230.

sertim cum nuper a B. Nogara diligentissime descriptae sint. Unum tantum addam, quod discrepantiam, quae est inter has picturas et tabulas Graecas, maxime apertam reddit; nam cum illis aut omnino desit oculorum signum vel horizontis linea rebus angulo recto ad picturae aream translatis, aut eius lineae altitudo incerta sit, haec topia a certo signo oculorum conspiciuntur, cuius altitudo in omnibus iis picturis, ubi mare pictum est, per horizontis lineam satis altam significatur. Quod ipsum quoque documento est, haec duo picturae genera tota arte inter se diversa esse neque viam neque nexum excogitari posse, quibus inter se coniungantur, quamquam aetate non ita multum diversae sunt, cum pleraeque illae tabulae aetati hellenisticae, topia autem Vaticana aevo Divo Augusto non multo priori tribuenda sint.

Topia autem Vaticana non tabularum pictarum instar sunt, sed prospectus vicem tenent. Similes prospectus praebent parietes cubiculi[1]) villae, quae in vico Boscoreale reperta est, qui et ipsi secundo stilo adnumerandi sunt. Cuius parietis ornamentatio duplicem pilarum et columnarum seriem ostendit, inter quas prospectus se aperit. Loca autem, quae post pilas esse videntur, inter se non cohaerent, sed unusquisque, qui inter duas pilas apparet, per se existere videtur, unde apparet, pictorem non id quod *Panorama* appellamus praebere voluisse, sed magis arti, quam veritati studuisse. Singulas autem picturas cum topiis Vaticanis non facile conferre possumus, et quod natura locorum diversa est (maior pars enim architectonica praebet) et quod amplitudo locorum plerumque non ita magna est. Tamen conferas quaeso hortum in t. IX redditum cum iis topiis Vaticanis, ubi mare pictum non est. Utrobique enim locus non usque ad horizontis lineam continuatur, sed rupibus

---

[1]) F. Barnabei, La Villa Pompeiana di P. Fannio Sinistore 1901, t. IX, X.

aut montibus aut aedificiis clauditur. Qui locus in picturis Boscorealensibus etiam angustior est, cum res maiores pictae sint; sed in summa rupe horti porta magis amplificatur. Omnibus autem cubiculi picturis communia sunt et amplitudo loci, quae plane a tabulis Graecis aliena est, et oculorum signum certum atque satis elatum. Itaque, quamquam magnae diversitates sunt inter has picturas et topia Vaticana, tamen, si tabulas Graecas conferimus, unum genus idemque ab illis plane diversum esse intellegitur.

Aliam quoque differentiam adhuc omisimus; desunt picturis Boscorealensibus *fabularum explicationes.* Itaque quaerendum est, et qualis nexus has picturas inter se coniungat et quomodo hoc genus ortum sit. Responsum dat Vitruvius, cum non dubium esse possit, quin picturae Vaticanae iis adnumerandae sint, quarum memoriam ille [1]) servavit, dum megalographias *habentes deorum simulacra seu fabularum dispositas explicationes, non minus troianas pugnas seu Ulixis errationes per topia* non solum commemorat, sed etiam, unde ortae sint, ostendit.

Habemus apud illum (VII, 5, 1—3) [2]) brevem picturae parietariae historiam, quae in complures partes dividi potest, quarum prima primo stilo, reliquae secundo stilo respondent. Cuius discernuntur genera tria (§ 2): *postea ingressi sunt*

ut etiam aedificiorum figuras, columnarum et fastigiorum eminentes proiecturas imitarentur,

patentibus autem locis uti exhedris propter amplitudines parietum scaenarum frontes tragico more aut comico seu satyrico designarent,

---

[1]) De arch. VII, 5,2 (ed. Rose).

[2]) De Vitruvii Pliniique locis commemoratis, cf. Letronne, Lettres d'un antiquitaire, p. 253 ff., Helbig, Rhein. Museum 1870, p. 393, Helbig, Untersuchungen, p. 62, 217, Woermann, D. Landschaft i. d. Kunst d. alt. Völker, p. 221 ff., Mau, Geschichte, p. 246.

ambulationes vero propter spatia longitudinis varietatibus topiorum ornarent ab certis locorum proprietatibus imagines exprimentes. pinguntur enim portus promuntoria litora flumina fontes euripi fana luci montes pecora pastores, nonnullis locis item signantur megalographiae habentes deorum simulacra seu fabularum dispositas explicationes, non minus troianas pugnas seu Ulixis errationes per topia, ceteraque quae sunt eorum similibus rationibus ab rerum natura procreata. Quae genera non tempore, sed usu inter se diversa sunt. De secunda autem specie cum alio loco (V, 6, 9) Vitruvius copiosius scripserit, hic tertium genus, topiorum dico imagines, explicat, cum singula, quae pinguntur, euumeret.

Manifeste Vitruvius declarat, topiorum picturam ortam esse e secundi stili parietum ornamentatione, enumeratio autem varietatum topiorum quae incipit a verbis *pinguntur enim* in duas partes divisa est, quarum prior topiorum exempla praebet, altera copiosis verbis speciem aliquam, megalographias dico, describit. Ex ipsa autem topiorum indole, quae a prospectus specie proficiscitur, apparet megalographiarum picturam non in topiorum generis principiis, sed paulo post inventam vel potius inceptam esse. Nam perdurasse atque viguisse etiam Vitruvii aetate alterum quoque genus, ex verbis *pinguntur* et *nonnullis locis* apparet.

Verbum autem megalographiae non diversum, quod ad artem attinet, picturae genus significat, sed ad argumentum tantum pertinet; est enim *magnarum rerum pictura.*[1]) Itaque hae megalographiae non genere, sed argumento a varietatibus illis topiorum differunt, novitas autem argumenti in eo est, quod topiis fabularum dispositae explicationes additae sunt. Omnino autem verisimile est, priusquam heroes additi sint, imagines hominum, quales tunc in topiis versabantur, ad id efficiendum, quod nos *Staffage* dicimus,

---

[1]) Cf. Stephani Thesaurum sub *μεγαλογραφία.*

insertas esse. Cui rei testimonio sunt et quod *pecora pastores* in topiis repraesentati apud Vitruvium inter topia et megalographias medium locum tenent et Plinii N. H. XXXV, 116) verba, quae sunt de Studio pictore; nam dubium non esse potest, quin ad idem picturae genus, quod Vitruvius tractat, pertineant. Eadem enim est parietaria pictura, eadem sunt argumenta, eadem est Augusti aetas. Plinius autem, postquam topia enumeravit, pergit: *varias ibi obambulantium species aut navigantium terraque villas adeuntium asellis aut vehiculis, iam piscantes aucupantesque aut venantes aut etiam vindemiantes* etc.

Ergo hic pluribus verbis idem genus significatur, quod est medium inter *topia* et *fabularum explicationes,* ita ut hoc incrementum parietariae picturae fuisse affirmare possimus:

I topia
II topia cum figuris vitae cotidianae
III topia cum figuris heroum.

Topiorum autem exemplum paries Boscorealensis praebet, secundae speciei paries apud Mau, t. VII, 2, ultimum autem huius incrementi germen topia Vaticana sunt, quamquam minime necesse est, hos ipsos parietes eundem temporis ordinem habere.

Maxime autem interest, quod neque Vitruvius tabularum mentionem facit et Plinius Studii illius picturam diserte tabulis opponit, cum scribit (118): *sed nulla gloria artificum est nisi qui tabulas pinxere . . . . non enim parietes excolebant dominis tantum . . . . . . nondum libebat parietes totos tinguere . . .*

Accedit, quod diligentissima topiorum descriptio, quam apud utrumque auctorem invenimus, docet primum quidem omnino novam fuisse hanc artem, deinde autem diversam ab illa, quae ab utroque paulo ante comme-

morata est, id est *scaenarum* pictura.[1]) Quo discimus, nihil commune habuisse parietariam eius aetatis picturam cum tabularum picturis, cum omnino alio fonte orta sit.

Itaque horum auctorum verba idem, atque ipsae picturae, nos docent, errationes illas Ulixis per topia novum aliquid et plane a tabulis diversum esse, sed quaestionem non solum movent, sed etiam solvunt. Ergo cavendum est, ne nexum quaeramus inter tabulas Graecas et has picturas, cum sint duo nihil inter se commune habentia genera. Itaque plane aliter apud antiquos pingendi ars progressa est atque nostris temporibus neque ullo modo licet antiquae artis historiae lacunas ita explere, ut ad hodiernae artis similitudinem recurramus. Nam cum Medii Aevi pictura tabularum paulatim ad id pervenerit, ut continuatum locum pingere posset, itaque uno et continuato progressu hanc facultatem assecuta sit, contra Graeca tabularum pictura aut omnino ea abstinuit aut exiguum tantum locum pingere potuit, continuata autem locorum descriptio alia origine orta est, e parietum pictura. Itaque hic pro uno eiusdem artis progressu duorum artis generum progressus sunt, qui omnino non inter se coniuncti sunt.

Postquam autem naturam topiariae picturae cognovimus, restat interrogare, quo tempore et ubi terrarum orta sit. Maxime autem interest, utrum haec quoque ars in Graecia an alibi nata sit.

---

[1]) Scaenae in tabulis quoque pingebantur, Plin. N. H. XXXV, 113 *Serapionis tabula ..... hic scaenas optime pinxit.* Itaque diversae fuisse debent a picturis Vaticanis parietibusque in vico Boscoreale repertis, quae topia appellandae sunt, atque pro tabularum arte angustiorem locum habuisse. Haud scio, an *scaenae satyrico more designatae* (Vitr. VII, 5,2. V, 6, 9) habendae sint picturae villae ad Primam Portam repertae (Ant. Denkmäler, T. 11, 24, 60) reliquaeque earum similes (Helbig, Wandgemälde, p. 385), scaena autem comico more designata ectypum scaenam comicam continens Neapolitanum, Schreiber. Hellenist. Reliefbilder, T. 83.

Vitruvius tradit sua aetate eam picturam etiam exstitisse: *pinguntur enim — signantur.* Tempus autem inventionis verbis *postea ingressi sunt* definitur. Quod cum ad secundum stilum pertineat, ad annum circiter 80 a. Chr. n.[1]) referendum est. Sed cum prospectus non iam initio illius generis, sed illo iam paulum exaucto picti sint, inventio paulo post ponenda est. At quinam hanc artem invenerunt? Primo obtutu Vitruvius antiquis hanc inventionem tribuere videri potest. At cum longum rerum cursum enumeret, verba *ingressi sunt* non iam ex *antiqui* pendent, sed incertum subiectum supplendum est; itaque nihil de inventoribus ex illo loco discimus. Sed etiamsi *ingressi sunt* cum *antiqui* coniungendum esset, non multum commutaretur, cum apud eundem VII, 1, 17 *antiqui nostri* pertineat ad Cossutium et C. Mucionem, quorum hic qui Virtutis Marianae cellam aedificavit non multo ante vixit.

Plinius autem et tempus et locum inventionis tradidit, cum Studium Divi Augusti aetate primum picturam parietariam instituisse dicat, id quod ita accipiendum est, ut Studius excellentissimus eius generis pictor praedicetur, sed invenisse eum hanc artem minime opus est. Itaque inventionem aetati Augusto paulum antiquiori tribuere possumus, id quod cum Vitruvii verbis consentit. A viro Romano autem hoc genus institutum esse Plinius tradidit nec habemus, cur de huius dicti veritate dubitemus. Ibi enim facillime institui potuit, ubi non genus per multa saecula antiquitus traditum florebat, sicut apud Graecos tabularum pictura. Itaque Romana tellus maxime idonea erat, quae hunc novum florem ederet. Eadem de causa tam subito tam excellentem loci pingendi facultatem invenimus, cum nulla consuetudine tradita impediti ipsam pictores naturam imi-

---

1) Mau, Geschichte, p. 287.

tari potuerint. Accedit, quod Romanorum ingenium Graecorum facilitate veritatis negligendae carebat et multo magis ad causas rerum inquirendas spectabat. Itaque in poesis quoque operibus videmus auctores Romanos magis quam Graecos id studuisse, ut continuationem rerum explicarent. Idem his quoque in picturis factum esse videmus. Nam non id, quod topiorum pictura instituta est, magni momenti est, sed quod in illis topiis primum ampli loci continuationem fictam esse videmus. —

Multi autem Demetrium[1]) primum topiorum pictorem fuisse credunt. Tamen dubito, an τοπογράφον pro topiorum pictore habere liceat. Nam primum quidem τοπιογράφον cum Letronne coniciendum esset, deinde autem τοπιογράφος vocabulum iam tum quasi terminum technicum fuisse veri dissimile est, praesertim cum ne postea quidem a Vitruvio et Plinio hoc nomen usurpatum esse inveniamus, sed copiosis verbis, dum de topiis pingendis agunt, novum illud genus explicetur. Ad pingendi autem artem ne hunc terminum transferamus, eo magis impedimur, quod is apud scriptores historicos casu quodam servatus est. Itaque Brunnii sententiam praefero, qui Demetrium tabularum geographicarum pictorem fuisse putat, quamquam cum illo concedendum est hoc chartarum genus aliquas similitudines cum posteriore topiorum pictura habuisse. Cui generi geographicarum tabularum adnumerandae sunt et pictura cuius memoriam Plinius (N. H. XXXV, 23) servavit, a L. Hostilio Mancino, in foro posita et ea, de qua Livius (XLI, 28) loquitur, quam Sempronius Grachus dicavit.[2]) Tempora autem harum picturarum, 174 et 146 a. Chr. n., cum Demetrii aetate, qui et ipse Romae domicilium habebat, consentiunt. Quod ge-

---

[1]) Vide Diod. Sic. Exc. d. V. et V. XXXI, p. 584, Exc. Vat. XXXI, 8, p. 96 (Dindorf). Val. Max. V, 1, 1 f. (Kempf). Letronne, Lettres d'un antiquitaire, p. 468, Brunn, Gesch. d. griech. Künstler II, p. 289, Helbig, Untersuchungen, p. 289.

[2]) Helbig, Untersuch., p. 289.

nus ut topiorum picturam praeparaverit, factum esse potest, sed nullo certo nexu cum parietum pictura prospectiva coniunctum est.

Restat, ut Petronii sat. c. 2 locum conclamatum[1]) commemorem: *pictura quoque non alium exitum fecit, postquam Aegyptiorum audacia tam magnae artis compendiariam invenit.*

Iure haec compendiaria ad parietis pingendi artem, sive *al fresco* est sive *a tempera,* relata est. Nihil autem de ipsis picturis neque de genere hic locus docere potest, sed ad ipsum pingendi modum pertinet. Causam non habemus cur, quin illa in Aegypto inventa sit, dubitemus, sed nihil artis historiae interest. Non enim licet ipsam parietariam picturam, quae topia architectonica similia ostendit, secundum hoc testimonium in Aegypto inventam esse putare; sed haec verba, si tempus inventionis traditum esset, nihil nisi terminum, post quem secundus stilus natus esset, praebere possent. Immo, cum secundi generis tempus fere constet, concludere possumus, eam Aegyptiorum inventionem ante annum 80 a. Chr. n. factam esse.

Priusquam autem de ceteris secundi stili picturis agam, de figuris, quas in topiis illis Vaticanis invenimus, pauca disseram. Duae autem sunt rationes quae illas praeter paucas easque femineas a figuris Graecis distinguunt, et quo modo in loco collocatae sunt, et quo modo insistunt et moventur. Nam cum in picturis Graecis figurae plerumque ita pictae sint, ut et uno plano contineantur et omnes fere artus per hoc spatium expandantur et omnes denique motus aequidistantes a picturae area fiant aut saltem non multum ab ea declinent, hae figurae per totam topiorum amplitudinem liberrime dispositae sunt, omnium aspectus decurtatur, omnium motus oblique fiunt. Optimum exemplum praebet Tityi iacentis

[1]) Helbig, Untersuchungen, p. 136.

figura (Nogara t. 25, 26), cuius simile quid vix in tabula Graeca inveniri potest. Omnes autem vivacissime agitantur, ita ut ne stantes quidem quieti esse videantur, cum sollicite et turbulente omnibus membris motus gestusque faciant tamquam trepident. Mirum autem est, qua ratione stantes figurae cruribus insistunt, velut pastor in secunda Laestrygonum pictura (Nogara t. 15, 16). Genu enim cruris, cui non incumbit, alteri admovetur, pes e diverso a pede dimovetur, ut angulus fiat inter femur et crus, manus autem vivaciter agitantur; quam standi rationem saepissime in aliis picturis Romanis inveniemus. Omnium autem figurarum articuli macri, partes, quae sunt inter eos, velut surae, crassae delineantur, ita ut magna variatio et mobilitas linearum fiat. Accedit, ut figurae multo magis procerae atque tenues sint quam in arte Graecorum. Soluta autem lineamenta et inquieti motus corporum et membrorum, quae durissime plerumque corporis lineas persecant, efficiunt, ut totae figurae non solum mobiles, sed etiam incertae, inconstantes, inmusculosae esse videantur. Nam ut breviter dicam omnia iis desunt, quae rhythmum et symmetriam figurarum Graecarum efficiunt. Itaque cum figurae plane a picturis Graecis diversae sint, sequitur illorum topiorum non solum locum sed etiam figuras pictori Romano tribuendas esse. Tamen quaerendum est, utrum propriae sint illi, qui topia Vaticana fecit, pictori, an aetati vel omnino arti Romanae tribuendae sint, id quod aliis picturis examinatis solvetur.

Pompeis enim in domu, quae ab epigrammatibus nomen duxit, quinque picturae secundi stili repertae sunt, quibus epigrammata illa Graeca, quorum argumenta depinguntur, subscripta sunt [Sogliano[1]) 197, 241, 242, 381, 601.[2])] Quae picturae, quamquam propter argumenta locus minor, figurae maiores redditae sunt, tamen eandem

---

[1]) Le pitture murali Campane 1879.

[2]) M. d. I, X, t. 35, 36. Mau, Pompeji, T. 11.

loci pingendi rationem praebent ac topia Vaticana. Satis enim amplus locus continuatus est, per quem liberrime neque ectyporum legibus impeditae figurae deinceps collocatae sunt. Accedit, quod res remotiores, sive columnas cum deorum simulacris sive templum, e parietaria pictura derivare possumus. Luci enim et fana apud Vitruvium Pliniumque inter topiorum picturas commemorantur, templum autem picturae, quae Panem et Amorem luctantes ostendit (So. 242), idem fere est, quod in pariete Mau, Geschichte T. VII, b. invenimus. Itaque dubium esse non potest, quin hae picturae e prospectiva pictura derivandae sint, epigrammata autem adscripta, ut res ipsa docet[1]), ad tabulas plane ab his parietibus diversas explicandas composita sunt. Itaque id egit pictor Pompeianus, ut tabularum illarum ignarus epigrammata illa suo Marte penicillo redderet. E figuris autem Venus, sicut nymphae topiorum Vaticanorum, Graecam indolem habet, reliquae autem non solum in collocatione, sed etiam in tota arte iis, quas modo descripsimus, tam similes sunt, ut usque ad singulos motus lineamentaque similitudines persequi possimus. Conferas velim piscatorem iuniorem in Homeri pictura (So. 601) cum figuris Antilochi et sociorum (Nogara, t. 13, 14), aut stantes illos fratres in pictura So. 197 cum pastore supra descripto. Eadem sunt lineamenta, eaedem standi et agitandi rationes.

Haec duo exempla fabulas Graecas describunt, locus autem Romanus est, figurae minime Graecae sunt. Generi autem Romano has figuras tribuendas esse, inde elucet, quod plane easdem figuras etiam in aliis eiusdem aetatis picturis Romanis invenimus, velut in topiis ornativis, quae complures domus Farnesinae parietes nobis praebent.[2])

Quae picturae, quae propter speciem ornativam ac-

---

[1]) Cf. O. Bie, Jahrb. d. Inst. 1889, p. 129.

[2]) Helbig, Führer 1124, M. d. I. XI, t. 44, H. 1146, M. d. I. XII, t. 28, E. Löwy, Festschrift f. O. Hirschfeld, p. 418, Studnicka, Tropaeum Traiani, p. 32, Anm. 44, p. 65, Anm. 144.

curatius perfectae non sunt, ex picturis plenioribus, velut topiis Vaticanis, procreata esse debent neque ante eas excogitatae esse possunt. Itaque ex multis elementis Aegyptiis, quae in his picturis invenimus, originem Aegyptium derivare non licet.[1]) Quae elementa Aegyptia secundum tantum locum obtinere etiam ideo apertum est, quod numquam in magnis, quae medios parietes obtinent, picturis secundi, tertii, quarti stili occurrunt. Contra post annum 48 a. Chr. n. facillime fieri potuit, ut res Aegyptiae, velut domus homines bestiae artificia, a pictoribus Romanis depingerentur. Itaque arcus quoque triumphalis, qui in his topiis depictus est, non modo non ex Aegypto, i. e. Alexandria, derivari potest, sed et ipse Romanam harum picturarum originem indicat. Plane easdem autem figuras habet zophorus eiusdem cubiculi[2]), cuius figurae cum topiis Vaticanis accurate, quod ad artem attinet, consentiunt. Deinde easdem habet — praeter alia eiusdem aetatis monumenta — in domu Palatina, quae dicitur Liviae, dextrae alae zophorus, qui et ipse topia ornativa *variasque ibi obambulantium species* continet. Porro similes figuras praeter alias, quae origine Graeca sunt, in picturis, quae historiam Aeneae describunt, quae nunc in thermis Diocletiani servantur, invenimus.[3])

---

[1]) De Romana horum similiumve topiorum natura cf. Collignon, Revue de l'art anc. et mod. 1897, II, p. 209.

[2]) M. d. I. XI, t. 44—48, cf. praeter scripta ibi commemorata C. Robert, Hermes XXXVI, p. 364. Sive fabula Graeca, sive Romana est, certe has picturas a Romano pictore inventas esse ars docet. Animadverte, quae sit differentia inter has et eas, quae scaenas Graecas depingunt, picturas, velut M. d. I. XI, t. 30—32. Contra et in collocatione et in motibus similes sunt eae picturae, quae in Terentii codicibus servatae sunt, quamquam ars mille fere annis interpositis valde depravata est, exempla autem Terentii codicum ad secundum saeculum referuntur. — Fieri autem potest, ut huius zophori picturae, quae in singulas partes dividi possunt, ad librum picturis illustratum redeant.

[3]) Helbig, Führer II, p. 1163—1165 a. M. d. I. X, t. 60. 60 a.

Quae omnes eiusdem aetatis picturae, cum easdem figuras Romanas ostendant, hoc genus aut auctoritati excellentis pictoris aut mori antiquitus accepto tribuendum est. Itaque nescio, an Studius auctor habendus sit.

Tamen ex antecedentium temporum picturis una servata est tertio vel secundo saeculo tribuenda, quae simile quid exhibeat, parietem dico in Esquilino repertum.[1]) Quamquam enim locus secundum Graecum morem ectypo simillimus est et figurae non adversa facie pictae sunt, tamen standi ratio memoriam illarum figurarum revocat. Simili enim modo genu alteri admovetur, pes amovetur, lineamenta corporis a brachio secantur. Itaque factum esse potest, ut pictores Augusti aetatis hoc genus iam a maioribus acceperint, praesertim cum etiam postquam Graecae figurae in picturam parietariam receptae sunt non exstinctum sit, sed usque ad quartum stilum perduraverit.

Easdem enim figuras omniaque, quae iis propria, a Graecis vero figuris aliena sunt, in omnibus iis picturis Pompeis et Herculanei repertis invenimus, quae non fabulas Graecas, sed Romanorum, qui tum vivebant, vitam describunt, quibus Helbig nomen *Römisch-campanisches Genre* dedit. Discrepantia enim, quae est inter has picturas et eas, quae tabulas Graecas imitantur, non solum in argumento posita est neque in eo, quod minore diligentia pictae sunt (multae enim, quae tabularum apographa sunt, multo incuriosius factae sunt), sed in tota artis diversitate. Quorum e numero affero So. 604 Rixam inter Pompeianos et Nucerinos ortam, Helbig 1489—1500, fori descriptionem 1501, 1504—1505 etc.

---

[1]) Helbig, Führer I, p. 420, 21. Bull. della comm. archeol. communale XVII (1889), t. 11, 12, p. 340—350 (C. L. Visconti). Gamurrini, Röm. Mitt. II (1887), p. 233, 1 et Visconti l. l. eam ad Fabium Pictorem rettulerunt, qui aedem Salutis pinxit. Contra disputavit Chr. Huelsen, Röm. Mitt. VI 1891, p. 111.

Accedit, quod omnes hae picturae loci continuationem ostendunt iis exceptis, quae zophori formam habent, quamquam eae quoque ratione, qua figurae in loco collocatae sunt, cum reliquis consentiunt. Itaque hoc genus quasi flumen subterraneum permanebat, vestigia autem vel in iis, quae argumenta Graeca praebent, picturis postea inveniemus. Animadvertendum est (id quod in omnibus fere rebus factum esse videmus), id ipsum, quod proprium erat Romanorum ingenio, auctoritate Graeca oppressum esse ita, ut non nisi quasi sub terra conditum vivere posset. —

Sed cum dubium esse non possit, quin figurae Graecae, quod ad artem attinet, meliores quam Romanae illae fuerint, facillime fieri potuit, ut Graeca exempla eorum locum obtinerent. Contra continuatio loci ab inventoribus parietariae picturae inducta longe superabat eam quam tabulae Graecae assecutae erant. Itaque maxime interest perscrutari, quomodo pictura parietaria cum tabularum Graecarum arte confluxerit, confluere autem utramque opus erat eo puncto temporis, quo argumentis fabularibus additis e prospectivis picturis imagines factae sunt, imaginem autem dico, quod Germanice *Bild* appellamus.

Vidimus enim, picturas domus epigrammatum eo ab *Ulixis errationibus* differre, quod non iam topia, sed figurae summa picturae sunt. Est proximus gradus, qui sequitur eum, quem ex scriptoribus cognovimus, progressum. Topiorum enim pictura prospectum per fenestram fingere conata est. Quoad autem figurae fabulares quasi parerga topiorum erant, species prospectus etiam conservari potuit — id, quod in picturis Vaticanis evenit —, ubicumque autem ex parergo summa picturae facta est, ea species non iam retineri potuit, sed ex pictura, quae veritatem imitabatur, imago picta in pariete facta est, quae non iam prospectus, sed artis operis certum argumentum exhibentis instar est. Quo facto quaestio solvitur, utrum pleraeque secundi stili

mediae parietum picturae *Tafelbilder* an *Prospekte*[1]) habendae sint. Mau enim demonstravit plerasque eas picturas non prospectus praebere, sed margine addito tabularum speciem habere; quod quamquam dubium esse non potest, tamen haud scio an nomen *Tafelbild* facile in errorem inducere possit.

Consentaneum enim est eo puncto temporis, cum species prospectus propter argumentorum vim relicta esset, etiam speciem fenestrae vel intercolumniorum, quae prospectum praeberent, omitti debuisse. Itaque picturae, ut non iam prospectus, sed imagines eas esse significaretur, margine circumdatae sunt, qui tamen a tabularum Graecarum margine diversus est, non solum earum tabularum, quae positae, sed etiam earum, quae parieti impressae sunt, cum plerumque non figurata forma lignea, sed limite colorato efficiatur. Etiamsi autem forma lignea est ut in domu epigrammatum et imaginem in tabula lignea pictam sese fingitur, tamen nomen *Tafelbild* a recta via abducere potest, cum de genere a tabulis Graecis plane diverso agatur. Neque nomen quidem *tabulae Romanae* recte sese habet, cum hae picturae cum priore tabularum pictura nihil commune habeant et omnino alio fonte ortae sint, deinde autem Romanam tabularum picturam Graecae simillimam fuisse verisimile sit. Itaque a nomine *Tafelbild* abstinendum et novo generi nomen *Wandbild* tribuendum est[2]), quod genus natum est e prospectuum pictura. — Cuius generis reliquias, quae quidem Romae sunt, nunc examinemus. —

Summi autem momenti sunt duae, quae in tablino domus Palatinae sunt, imagines. Quarum ea, quae

---

[1]) Eug. Petersen, Ara Pacis Aug. p. 148, Mau, Röm. Mitt. 1902, p. 179, Petersen, Röm. Mitt. 1903, p. 87, Mau, Röm. Mitt. 1903, p. 222.

[2]) Robert, Votivgem. eines Apobaten, 19tes Hall. Winckelmannsprogr. p. 7.

Polyphemum et Galatheam ostendit[1]), quae nunc paene evanuit, quod et ad locum et ad figurarum collocationem attinet, picturis Vaticanis simillima est ideoque, quamquam ipsa non iam pro prospectu habenda est, aperte originis suae signa ostendit. Figurae autem pro loco paulum maiores factae sunt, ut iam dubium oriri possit, utrum topium an figurae pro summa picturae habenda sint. —

Longioris autem parietis imago, quae Ionem ab Argo custoditam et Mercurium advenientem exhibet[2]), ab ea multis rebus diversa est, quas, quamquam Pompeianis demum eiusdem argumenti picturis perspectis accuratius intellegi possunt, tamen paucis enumerare volo. Nam primum quidem amplitudo loci contracta rupibusque finita est. Quod vero ad figuras attinet, pictorem in componenda pictura tabula Graeca usum esse postea videbimus; sed ut tota pictura apographum tabulae sit, fieri nullo modo potest. Nam primum quidem forma picturae eadem est quae alterius picturae, multo magis in altitudinem quam in latitudinem extensa, cum Graecas tabulas plerumque transversas fuisse viderimus; tunc tantum altitudo latitudinem superabat, cum perpaucas figuras tabula continebat. Quod quamquam in hanc quoque picturam cadit, tamen caelo numquam tantum spatium Graeci dederunt. Quae autem Mau de pingendi rationis diversitate, quam inter hanc picturam et eas, quae a lateribus parietis prospectum repraesentant, intercedere credit, disseruit, ea iam ab Eugenio Petersen refutata sunt[3]); multo maior enim est diversitas inter has tres picturas et illa Graecarum tabularum apographa, quae in iisdem parietibus

---

[1]) M. d. I. XI, t. 23.

[2]) M. d. I. XI, t. 22. Engelmann, Arch. Zeit. 1870, p. 39, Helbig, Untersuch. p. 140, Overbeck, Atlas z. Kunstmythol. Tf. VIII, 11. Wiener Vorlegebl. 1890/91 T. XII, 3. Kunstgesch. i. Bild. I, Tf. 96, 2. Klein, Gesch. d. griech. Kunst II, p. 325. Herrmann-Bruckmann p. 67.

[3]) Röm. Mitt. 1902, p. 201. 1903, p. 99.

sunt. Sed etiam ipsa compositio a tabulis diversa est. Ionis enim et Argi figurae magis oblique, quam in illis fieri solet, collocatae sunt, Mercurius autem oblique e recessu aggreditur et pro distantia minore statura redditus est, quam qua in tabula Graeca pingi poterat. Accedit, quod figurae non sine magna duritia per aream dispositae sunt. Nam primum quidem, cum Io et Argus copulationem pulcherrimam omnibus lineis inter se concinnentibus efficiant, Mercurii figura nulla linearum ratione cum iis coniuncta est, neque vero magnitudine corporis tantum valet quantum Argus. Columna quoque compositionem turbat, cum neque centrum picturae significet neque Ionis figuram concordia linearum vel colorum amplificet, sed acerrime eius lineamenta persecet. Accedit, quod, si locum, quo Io, columna, rupes collocata sunt, cum Argi loco conferimus, columnae nullum omnino relinquitur spatium. Quae omnia docent, hanc quoque picturam iis adnumerandam esse, quae e topiis fabularum dispositiones habentibus ortae sunt.

Imago autem, quae in triclinio domus Palatinae servata est[1]), etiam similior est picturis prospectivis, cum humanae figurae additae omnino non sint; respondet autem Studii picturis *lucos, nemora* repraesentantibus.

Idem fere argumentum neque tamen ita copiose accurateve pictum, quamquam figurae additae sunt, duae ex iis picturis praebent, quae medios parietes domus Farnesinae ornant. (M. d. I. XII, t. 23. 24.)

Contra eae, quarum altera sacrificantes, (M. d. I. XII, t. 6, 1) altera Nymphas Bacchum infantem nutrientes (M. d. I. XII, t. 18. 20) ostendit, cum picturis tablini domus Palatinae componendae sunt. Quamquam enim figurae pro picturae area etiam maiores factae sunt, tamen locus non tam exiguus est, quam in Ionis pictura, figurae autem

---

[1]) Mau, Geschichte T. IX, Röm. Mitt. 1902, p. 213, Fig. 11.

multo neglegentius et liberius collocatae sunt. Accedit, quod nusquam alibi ita quasi manibus comprehendere possumus, quanta diversitas, quod ad formam et colores attinet, inter has picturas et apographa tabularum in summo pariete picta intercedat. Notandum autem est, spatium loci hic quoque non iam usque ad horizontis lineam expositum, sed clausum esse aedibus, muris, portis, quo facto picturae fere ad exiguum tabularum spatium rediguntur. Eo enim puncto temporis, quo e prospectibus imagines factae sunt, auctoritas tabularum efficax esse incipit, quae in eo quoque deprehenditur, quod eae quas modo excussimus picturae, non iam figuras Romanas, sed Graecas ostendunt. Itaque picturae parietariae progressum supra descriptum hoc modo definire possumus.

A.
- I. Species prospectus.
- II. Species prospectus cum figuris.
- III. Species prospectus cum figuris mythologicis.

B.
- IV. Imagines: figurae Romanae in topio (Stanza d. epigrammi).
- V. Imagines: figurae Graecae in topio. (Galathea.)
- VI. Imagines: figurae Graecae in topio angusto. (Io. Domus Farnesina.)

Haec autem singula genera non hoc ordine sese insecuta esse, sed partim eodem tempore nata esse verisimile est; neque novo genere exorto antecedentia exstincta sunt, sed permanebant, id quod in picturis Pompeianis examinandis confirmatum videbimus.

Priusquam autem ad eas nos convertimus, duae domus Farnesinae picturae, quae a reliquis diversae sunt, commemorari debent (M. d. I. XII, t. 6, 2 et 21). Sunt autem non verae picturae, sed potius delineationes versicolores in albo[1]), alterius autem exemplum simulacrum

[1]) Mau, Annal. d. Inst. 1884. p. 319. Delineationis indoles tam antiqua est, ut fieri non possit, ut in pictura t. 21 antiquum simulacrum a pictore Romano redditum sit, id quod Petersen,

antiquum imitari videtur. Itaque ad exempla tabularum referendae et toto genere ab iis, quas tractavimus, picturis diversae sunt; quod autem et ipsae medios parietes ornant, inde expediri potest, quod reliquae quoque picturae non iam prospectus speciem praebent, sed imaginum instar sunt. Accedit, quod altera opus statuarium imitatur, in altera autem parietaria pictura aliquid valuisse videtur. Duae enim figurae, quas t. VI, 2 ostendit, ectyporum more certo et finito spatio loci continentur, reliqua autem area alba relicta est, qua re pictor a continuatione loci abstinuisse videtur. Attamen cervus, qui ipse quoque ectyporum canoni respondet, paulum infra eas duas figuras pictus ostendit, id, quod infra est, non pro area parietis sive imaginis habendum esse, sed pro loci spatio, quod ante eas figuras est. Sed fieri non potuit, ut pictor hoc assequeretur. Utraque enim figura secundum ectypi stilum certa horizontis linea caret, quo fit, ut exiguum spatium, in quo figurae collocatae sunt, a loco paulum tantum superiore conspiciatur, eiusque finis anterior in area picturae esse videatur. Sed ut area inferior spatium in fronte continuare videretur, opus esset figuras a loco multo superiore conspici. Quo fit, ut aut spatium, quod ante figuras est, infra inflectum, aut figurae retro inflectae esse videantur. Idem autem in cervo evenit. Quae discrepantia alicuius momenti est, cum eam in tertio quoque stilo inventuri simus.

Röm. Mitt. 1892, p. 60 statuit, sed ut haec pictura cum Mau l. l. apographum tabulae antiquae habendum sit, quae tamen ipsa simulacrum etiam antiquius imitabatur.

III.

Parietes Pompeiani stili secundi.

Iam cognovimus complures picturas Pompeianas secundi stili in domo epigrammatum exstantes quae non solum, quod ad locum, sed etiam, quod ad ipsas figuras attinet, arti Romanae tribuendae sunt. Vidimus autem picturas Romanas maxima ex parte figuras habere, quas e tabulis Graecis depromptas esse plerumque verisimile est, semel autem constat. Quibus respondent eae secundi stili picturae, quas domus quae dicitur citaristae nobis donavit, Helbig 152, 323, 1401, 566.

De pictura Martis et Veneris amorem exhibente H. 323[1]), cum Winter copiosius disseruerit, paucis tantum verbis agam. Locum, qui saxis, pila, monte, in quo arbor eminet, definitur, Romano pictori tribuendum esse Winter demonstravit, id quod dubium esse non potest, cum a Graeco more plane abhorreat. Quod autem Winter omnes figuras ad eandem tabulam Graecam referendas esse contendit, mihi quidem nullo modo persuasit. Etiamsi enim difficultatem praetermittimus, quam homo ille a dextra parte stans interpretationi affert[2]), et duritiam compositionis, ubi flexuoso gracilique Veneris lineamento rectum et arduum corpus huius hominis respondet, fieri non potest, ut in tabula Graeca figurae in spatio tam amplo et ab elato oculorum signo conspecto collocatae fuerint. Conferas velim, quanta sit, quod ad locum attinet, diversitas in collocatione canis

---

[1]) Fr. Winter, Über Vorlagen pompeianischer Wandgemälde. Österr. Jahresh. V, 1902, p. 96, Fig. 15.

[2]) Helbig (Rhein. Mus. 1869, p. 520, Untersuchungen, p. 22) custodem alterum, Dilthey (Ann. d. Inst. 1875, p. 17) Gingronem. Winter l. l. Solem nominat; cf. etiam Hermes 1902, p. 318 (Robert),

inter hanc picturam et ectypum Thespiense a Wintero l. l. p. 99, Fig. 18 collatum. Contra dormientem custodem ad archetypum referendum esse, ex opere fictili (Winter l. l. Fig. 16 et 17) discimus. Atque haud scio, an in eodem plano, in quo Mars et Venus, collocatus fuerit. Tamen haec incertiora sunt, quam quae diiudicari possint.

Similem loci descriptionem maenadis dormientis imago H. 566 ostendit, ubi planum anterius rursus figuris caret, reliquus autem locus saxis, figuris, rupibus exstructus est. Figurarum autem pro area magnitudo fere eadem est, atque in pictura H. 323. Figuras e tabula depromptas esse verisimile est, cuius origo aetati hellenisticae tribuenda est.

Tertia pictura H. 152[1]) in eadem camera, ac 323 et 1401, reperta ab his picturis eo diversa est, quod locum architectonicum, muris et templo clausum, nobis ostendit, qui locus, sicut ceteri, e pictura prospectus praebente ortus esse debet. Similem autem locum, qui etiam verus prospectus habendus est, paries apud Mau, Taf. VIIb, ostendit, ubi templum rotundum, in recessu autem murum et alterum templum videmus. Sed cum illic figurae mere ornativae sint, haec pictura fabulae dispositione megalographia reddita est. Figuras autem ad tabulam Graecam satis antiquam quarti saeculi referendas esse, Furtwängler et Winter demonstraverunt; qua in tabula eas omni loci continuatione caruisse verisimile est. Per locum autem complures gradus et altaria disposita sunt; altaria secundum altitudinem horizontis lineae super gradus in fronte collocatos, in quibus mulier, sive Leda sive Nemesis, stat, apparent. In recessu autem a sinistro latere murus sive solarium (Helbig) locum claudit, super murum mons eminet, cuius in vertice aquila insidet. Tota dextra pars templo praeclaro obtinetur, arbores etiam post templum collocatae sunt. Tem-

---

[1]) Helbig, Atlas T. V, Furtwängler, Sammlung Sabouroff, Vaseneinl., p. 12. Winter l. l.

plum cui ordini tribuendum sit, accurate perspici non potest. Videtur autem doricum, prostylum, octastylum esse. Mira autem est amplitudo pronai, cum columnae in fronte arctissime positae sint. Illud enim cum templo Etrusco sive Romano simile sit, hoc ab illo alienum est; epistylium autem canoni Graeco magis respondet. Utrum autem gradus templum circumdent necne, cum inferior pars, neglegentius picta sit, intellegi non potest. Inde apparet, pictorum non verum templum reddidisse, sed e memoria pinxisse. Anta anterior videtur in muro quodam stare, qui ad columnas anteriores ducit, quo fit, ut paene in podio satis alto collocata esse videatur. Columnae autem non muro illo insistunt, sed infra productae sunt, unde apparet, murum illum inter columnam extremam et antam collocatum esse. Itaque debuit pictor etiam antam infra murum producere, id quod in pictura huic simili (Sogliano 551) recte factum est. Iam videamus, num tales muri interpositi[1]) in vera architectura exstiterint. Simile aliquid autem parietaria pictura in iis muris praebet, quos Mau *Wandschirme,* Petersen *Scherwände* esse putat. Quamquam autem facile fieri potuit, ut in templo prostylo intervalla inter antas et exteriores columnas muris clauderentur, tamen hoc numquam in templis nobis cognitis observatum est. Pictor autem huius picturae cotidie parietes videre poterat, ubi tales muri picti erant, et, cum talis pilae et columnae coniunctio templi latere paene ad aream ordinato simillima esset parti parietis secundi stili, facile parietum usum ad picturae architecturam transferre potuit. Quod autem anta non infra murum producta est, inscitiae pictoris tribuam. Certe autem pictori Romano totus locus, in quem figurae Graecae tabulae translatae sunt, tribuendus est.

---

[1]) Exstiterunt, sed aliis in locis, vel. in templo Selinusio F., cf. Koldewey u. Puchstein, Die griechisch. Tempel in Unteritalien u. Sizilien, p. 118, 162. Priene p. 191. Jahrb. d. Inst. 1905, p. 137 (Pfuhl).

Quarta pictura H. 1401[1]) regem barbarum et iuvenem supplicantem ostendit. Iure autem Winter figuras ad tabulam quarti saeculi rettulit, cui opinioni imprimis sedis delineatio favet. Tamen figurarum proportiones turbatae exemplum non accurate depictum esse demonstrant. Tentorium autem, quamquam etiam quarto saeculo tribuere possimus, tamen a pictore Pompeiano additum esse verisimile est, cum argumento et arte coniunctum sit cum reliquis tentoriis rebusque topiariis supra pictis, quae nullo modo tabulae Graecae tribui possunt.

Quae quattuor picturae ita inter se consentiunt, ut eas ab eodem pictore factas esse verisimile sit, consentiunt etiam cum Romanis secundi stili picturis. Sed cum uni pictori tribuendae sint, non omnes secundi stili picturas Pompeianas tales fuisse concludere licet, sed sicut Romae etiam Pompeis alias quoque, quae fabulas per maiora topia dispositas habebant, exstitisse verisimile est.

---

[1]) Stein, Arch. Zeit. 1866, p. 1, T. 205, Winter l. l. p. 105.

Cum amplissimo philosophorum ordinis consensu pars tantummodo totius libelli, qui post paucos menses apud Weidmannos prodibit, pro dissertatione edatur, reliquorum capitum argumentum breviter hic indicabo.

Quaeritur primum quidem, quomodo locus, quem in multis tertii stili picturis, sive topiarius sive architectonicus est, depictum videmus, cum topiaria secundi stili pictura cohaereat, quaeque res in singulis picturis ad exempla Graeca referri possint, deinde, quarum quarti stili picturarum compositio e tertio stilo derivanda sit, quaeque picturae, quod ad compositionem attinet, accurate tabulas Graecas reddunt.

Vita.

Natus sum Gerhart Martin Karl Rodenwaldt a. d. XVII Kal. Nov. a. 1886 Berolinae patre Roberto matre Katharina e gente Luther, quibus superstitibus gaudeo. Borussus sum, fidei addictus evangelicae. Litterarum primordiis eruditus puer novem annorum adii gymnasium Leibnizianum; hoc per biennium, per reliquos septem annos gymnasium Friderico-Werderianum frequentavi. Autumno a. 1904 cum maturitatis testimonio dimissus inter cives Universitatis Berolinensis receptus sum, ut studiis archaeologicis, philologicis, artis historiae me dederem. Vere a. 1905 Heidelbergam transgressus sum, unde post sex menses Berolinam reverti. Autumno a. 1906 Halas me contuli, ubi ad hoc tempus in numero fui civium academicorum.

Docuerunt me viri illustrissimi: R. Delbrueck, A. Dieterich †, v. Domaszewski, v. Duhn, Ebbinghaus, Fries, Goldschmidt, O. Hirschfeld, Kekule v. Stradonitz, O. Kern, Lindner, Ed. Meyer, Niese, Philippson, Praechter, Preuner, Riehl, Robert, Thode, Vahlen, Watzinger, v. Wenckstern, v. Wilamowitz-Moellendorff, Windelband, Winnefeld, Wissowa, Wölfflin.

Proseminarii philologici Berolinensis per bis sex menses sodalis fui moderantibus Diels, Helm, Imelmann, Kirchner, v. Wilamowitz-Moellendorff, proseminarii Halensis per sex menses regentibus Blass †, Dittenberger †, Ihm. Deinde viri clarissimi Kern, Praechter, Wissowa in seminarium philologicum me receperunt, cuius membrum per bis sex menses fui, per sex menses senior. Ad exercitationes suas me admiserunt: v. Duhn, Goldschmidt, Hirschfeld, Kalkmann, Kekule v. Stradonitz, Kossinna, Lehmann-Haupt, Preuner, Robert, Thode.

Quibus omnibus viris doctissimis gratias semper habebo quam maximas, imprimis Carolo Robert, qui singulari benevolentia studiis meis consuluit et in hac dissertatione componenda opera consilioque me adiuvit.